

Franciscanos tunc temporis — excepta illa unica et brevi legatione Superioris Fratrum Spalati a. 1248 — in Bosna existisse vel laborasse. Remanet ergo solummodo coniectura, ubi nos certitudinem statuere nitamur.

Neque sententia P. Jelenić et P. Nedić tam firma vindetur, ut cuilibet sanae criticae resistere posset. Etsi hoc tempore (annis scilicet 1321) Franciscani in Bosna permanenter laborent, dato etiam quod fixas habitationes habuerint, nihilominus dictam sententiam sustineri non posse aestimamus; quia bulla non erat illis data dicto anno sed postea applicata, ut statim ex sequentibus patebit.

Hic enim non quaeritur, utrum Franciscani tempore, de quo sermo est, de facto aliquoties munera curae pastoralis exercuerint (quod forsitan et faciebant vi facultatum, quibus ut inquisitores pollebant), sed quaestio instituitur, quando illis certo et positivo documento officium pastorale commissum fuerit, quando nempe datum fuerit jus illud munus acquirendi et exercendi. — Hoc vero jus procul dubio in bulla Joannis XXII »Cum hora jam undecima« continetur; sicut etiam extra dubium est Franciscanos Vicariae (postea provinciae) Bosnae quasi semper eam allegare in procuratione et defensione jurium parochialium, nec non posteriores Romanos Pontifices eam confirmare, interpretari et completere. Remanet ergo invenire, quandonam hanc bullam Franciscani bosnenses certo obtinuerint.

Contra sententiam P. Jelenić et Nedić id a. 1321 accidisse sequentes rationes pugnant. Imprimis, nullibi documenta prostant ex quibus erui posset bullam »expresse« Franciscanis bosnensibus a. 1321 datam fuisse. Hoc nec in ipsa bulla dicitur, neque alii noti fontes affirmant. Ibi enim enumerantur nomina nationum ad quas missionarii diriguntur (quae enumeratio alias non nisi ex bulla Alexandri IV supra nominata transcripta est), sed inter illa nulla Bosnae mentio fit.¹⁶³ Desunt etiam documenta quae saltem

¹⁶³ Ibi dicitur: »... filiis fratribus de Ordine Fratrum Minorum in terris Saracenorum, Paganorum, Graecorum, Bulgarorum, Cumanorum, Yberorum, Allanorum, Galathorum, Gothorum, Sichorum, Ruthenorum, Jacobitarum, Nubianorum, Nestorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Mosselinorum, aliarumque non creditum nationum Orientis et Aquilonis,